ORATIO IN FVNERE

F. PETRI-NICOLAI
MVTII BERGOMATIS

AVGVSTINIANAE CONGREGATIONIS
L O M B A R D I AE
VICARII GENERALIS,

A IOSEPHO CASTALIONE

I. V. D. ROMANO

Habita Romæ in Templo S. Mariae de Populo, ix. kal. Septemb. anno Domini M.D.XCVI.





R O M A E,

Ex Typographia Bernardi Baſae. M. D. XCVI.

SVPERIORVM PERMISSV.

BEATISSIMO PATRI AC DOMINO NOSTRO CLEMENTI VIII. PONTIFICI MAXIMO

Ioſephus Caſtalio Romanus S. P. D.

LAVDATIONEM, *ſeu verius F. Petri Nicolai Mutij vitæ compendium quam breuiſsime conſcripſi. Impreſſam ad Sanctiſsimos Pedes tuos affero, ad quem iure optimo pertinet. Tu enim virum non leuiter diligebas, quod eſſet apprime religionis ſtudioſus, & diſciplinae regularis impenſe obſeruator, atque ex ea Congregatione, cuius ipſe in Cardinalatu Protector extitiſti. Neminem latere cenſeo, quanto ſtudio ad rerum ſacrarum cultum rite procurandum, & ad Cleri, Regulariumq. mores emendandos contendas. Templa, ſacella, altaria, ſacraria, veſtem, et inſtrumentum ſacrum tutemet inuiſis, perluſtras, contrectas, reuoluis, &, quae minus dignitatis habere viſa ſunt, ea vt tollantur, aut reſtaurentur, praecipis. Clericorum collegia, Monachorum coenobia ſtudioſe adis, orationem de vitae ſanctitate, ac doctrina apud eoſdem habes. Hinc iam fit, vt rei Diuinae ſummus, vt par eſt, honos habeatur, ſacra omnia loca, & vaſa reparentur, & Cleri, Regulariumq. innocentia ceteris om-*

nibus ſit exemplo. Si qui vero ſunt, quorum praecipue virtus eminere videatur, in eos potiſsimum voluntas propenſa eſt tua. Lombardiae Auguſtinianorum Congregatio, quae centum, & octuaginta fere abhinc annis Cremae inſtituta, & immenſa Philippi Mariae Angeli Vicecomitis Ducis Mediolani beneficentia bonis aucta, & in varijs Italiae regionibus propagata, per ſingulas aetates, Viros ſingulari pietate, & ſacrarum litterarum cognitione inſignes aluit. In eam enim permulti ingenio, & animi ad rectum propenſione praeſtantes vndique confluebant. Quae quoniam, quod erat egregie adſtrictum, nonnihil relaxaſſe temporum iniuria videbatur, in priſtinam atque adeo in intentiorem obſeruantiae regulam te auctore per hunc Mutium redire coeperat. Neque dubium eſt, quin praeceptis inſtitutisq. tuis in maiorum ſanctimoniam penitus redigatur F. Conſtantio Lodio Brixiano eiuſdem diſciplinae mirum in modum ſtudioſo Vicario Generali, quo nomine in mortui locum à Te ſuffectus eſt. Quare quod de ipſa Congregatione, deq. viris in ea religioſiſsimis vere dici poteſt, id ad Sanctitatem tuam Beatiſsime Pater referri debet. Hanc ego rationem ſecutus Tibi orationem de laudibus viri numquam ſatis laudati inſcripſi. Deum precor, vt diu Te incolumen Eccleſiae ſuae ſanctae velit eſſe. Romae, iij. Idus Octobris M. D. XCVI.

ORATIO IN FVNERE

F. PETRI NICOLAI MVTII

BERGOMATIS

Auguſtinianae Congregationis Lombardiae Vicarij Generalis,

A IOSEPHO CASTALIONE I.V.D. ROMANO

Habita Romae, in templo S. Mariae de Populo, ix. kal. Sept. anno D.M.D.XCVI.

QVAMQVAM ornatiſſimi Patres F. Petri Nicolai Mutij genus, educatio, doctrina, ſapientia & honores prolixiorem orationem deſiderant, tamen veſtri conſeſſus ratio tantis caloribus me admonet, vt eius laudationem, ad cuius corpus hoc in templo iuſta nunc rite fiunt, paucis complectar. Sed dabitur, ſpero, alius hominis luculentius laudandi locus. Nunc tempori ſeruiam, & quam breuiſſime ſumma rerum capita percurram. Bergomi, quam eſſe Galliae citerioris vrbem celeberrimam accepimus, gens eſt Mutia honeſta, & ſplendida. ex ea tantum lumen quarto, & ſeptuageſimo abhinc anno prodijt. Parentes optimi ſummo ſtudio & cura filium educantes adeo bonis artibus, & religione imbuerunt, vt adhuc impubes anno vitae duodecimo exacto in Coenobium Auguſtinianorum, quibus a diſciplinae obſeruantia, & Lombardiae regione nomen eſt inditum, anno Domini M.D. XXXIV. confugerit, ſeq. ad pietatem maxime informandum Patribus dederit, contemptiſq. ſaeculi delicijs, luxu, & voluptatibus, paupertatem, obedientiam, & caſtitatem toto pectore ſit complexus. Eius inter tirones humilitas, patientia, manſuetudo, modeſtia, & pietas ſupra quam dici poteſt, eluxit, & grandioribus quoque natu exemplo, atque admirationi fuit. In ſtudijs autem litterarum quaecumque attigit, ita verſatus eſt, vt prorſus excelluerit. Non ingenium, non iudicium, non memoria ad miraculũ vſque adoleſcenti defuit. diſcendi vero auiditas inexplicabilis, & exercitatio acceſſit ſumma. diſſerendi ſubtilitate, & acumine omnes ſuperauit; quoties certamen litterarium publice inijt, toties victor, gloriamq. illuſtrẽ adeptus diſceſſit. Quare non multo poſt in ipſo adoleſcentiae flore ex Patrum decreto Dialecticam, Philoſophiam, & Theologiam ſumma cũ laude viginti annos, & eo amplius docuit. Quam vero ille in profitendi munere ſtrenue ſe geſſerit, argumento

ſunt,non ſolum ſexaginta praeclari eius auditores, ſed quicumque ex ſenioribus doctrinae gloria in hac ipſa Lombardiae Cōgregatione nunc florent. haud totidem fortaſſe ex Socratis, Platonis, & Ariſtotelis auditorio philoſophi prodierunt. Illud ſine controuerſia vlla conſtat, ab eo litterarum vehemens ſtudium,& cultum apud ſuos profectum eſſe. Nec minore ſtudio eloquentiam coluit,praecipueq. vix annos natus tres & viginti eam aggreſſus oratoriam rationem, qua populorum animi ad pietatem & religionem inſtitui ſolēt, Dei verbum tanta animi contentione, tánta verborum copia, & ſententiarum vi in concione enuntiabat, vt neque vitijs inſectandis, neque virtutibus inſerendis quidquam deſideraretur. Rerum diuinarum, atque humanarum inuoluta quaeque mira linguae ſuauitate, ac facundia explicabat; morum ſanctitate,facile quam rectum eſſet, perſuadebat. hominis forma admodum venerabilis, quod maximum virtutis indicium eſſe ſolet,omnium oculos in ſe conuertebat. Hinc illi apud celeberrimam quamque ciuitatem aditus ad gratiam, beneuolentiamq. patuit. Illum Brixia,Cremona,Mutina,Mantua, Ferraria,Bononia,Genua, & Bergomum Patria ſummopere expetiuit, prenſauit,ingentiq. cum voluptate de loco ſuperiore cōcionantem audiuit. Quadraginta totos annos Praedicatoris officium indefeſſe obiuit,fideliumq. animos a ſaeculi illecebris ad Dei amorem conuertit,atque excitauit. Quartana,vt artem deſineret, hominem coegit. Tanta in illo dicendi vis,& gratia fuit,vt in quam vellet ſententiam animum eius, qui cum ſermonem haberet, facile pertraheret. Eius rei luculentiſſimum teſtimonium in medium proferam. Sfortia Pallauicinus,Venetae Reipublicae armorū,vt appellant,Generalis Gubernator, ex Senatus conſulto Bergomum munire inſtituerat. Quamquam nullis opus eſſet munitionibus ad eam tuendā vrbem,cuius ciues,& ſuapte natura,& Venetorum aequitate, continentia,& iuſtiſſimo imperio fideliſſimi eſſent,ciuiumq. voluntas,& beneuolentia longe firmior munitio ſit,quam turres, aggeres, propugnacula,atque arces,tamen,cum id tempora poſtularent,abſoluta iam operis parte maxima, templum quoque Sancti Auguſtini cū Coenobio euertere funditus decreuerat, quód ita muniēdi ratio poſcere videretur. Ea res in primis incredibilem Auguſtinianis dolorem attulit, nec minore Ciuitatem maerore affecerat. Quare hic noſter Mutius,qua erat in Deum, ſanctosq. pietate, & in Patriam caritate,primum ieiunijs, lacrymis, precibus, ſacrisq. nitendū ſibi apud

Deum ſtatuit. Deinde Hieronymum Martinengum, virum clariſſimum, ſingulariq. virtute, ac conſilio praeditum, muniendiq. artis peritiſſimum, in ea Ciuitate armorum Gubernatorem, conuenit, obſecrauitq. vt rationem aliquam iniret, quo intra pomerium templum reciperetur; Dei, Sanctorumq. aras, imagines, ſacella, quae ſumma religione Bergomates venerarentur, ac maiorum ſepulchra, & monumenta viro pijſſimo tanto animi ardore commendauit, vt, quod vniuerſa ciuitas votis omnibus expetebat, ipſe exorauerit. Etenim Martinengus nihil, quod ad eam rem pertineret, omiſit, rationem excogitauit, viam inuenit, omniq. ſtudio egit, quibuſcum oportuit, vt aedi Auguſtinianae omnino parceretur. perſuaſit. Itaque neque templum dirutum eſt, neque templi ſeruandi cauſſa Vrbis munitio quidquam detrimenti cepit. Venio nunc, vt de honoribus geſtis, quod vltimum orationis meae caput fuerat, breuiter differam: Congregatio Auguſtinianorum Lombardiae ſatis ſuperq. tanti viri bonitate, diſciplina, ſcientia, & fide perſpecta in eius ſe prudentiam, & virtutem reclinauit. Nam ſaepius Coenobiorum adminiſtrationi praefecit, & Congregationis Viſitatorem & Capituli generalis Praeſidentem, Vicarijq. Generalis ſocium, & Secretarium, ac Coenobij huius ter moderatorem, Vicarium denique Generalem, quae ſuprema eſt poteſtas, creauit. Hic, niſi ad finem oratio feſtinaret mea, multa & prope incredibilia de inſtitutis, vigilantia, iuſtitia, ſeueritate, ac benignitate eius in medium proferrem. illud omnino indicio eſt, ſummum ab eo honorem praeclare geſtum eſſe, quod iterum, & tertium mandata homini ſit eadem prouincia, eiq. prius mors honorem abrogarit, quam Congregatio committere deſierit. haec tamen ſummatim attingam. omnes in officio, & regularis diſciplinae obſeruantia religioſiſſime continuit. diſciplinam ipſam labefactatam reſtituit, contumaces ſeuere quidem, ſed tamen benigne, nullaq. adhibita aſperitate, correxit, imitatus Apum Regem, cui vni ex eo animantium genere aculeum natura detraxit. pietatis, & doctrinae ſtudioſos fouit, egentes ſuſtentauit, omnibus ſe facilem, exorabilemq. praebuit, optimum quemque ad ſuperiores ordines extulit. Nemo non illum reuerebatur vt Magiſtrum, ac praepoſitum, nemo non diligebat vt Patrem. ab omnibus colebatur, obſeruabatur, maximi fiebat. Erat Congregationis ſane decus, atque adeo totius Auguſtiniani ordinis, & ſaeculi noſtri ornamentum. illius vitam poſteritas omnis admirabitur, & ad imitandum illuſtre propoſitum habebit

bebit exemplar. nec vero minor in morbo tranſituq. virtus, & pietas eius enituit. Nam ſimulatq. Vicarius Generalis tertium Congregationis comitijs Bergomi renunciatus eſt, nulla prorſus neque ſenectutis, neque anni temporis ratione habita; in viam ſe dedit, Coenobia complura obiuit, viſitauitque, in Vrbem demum menſe Iunio ingreſſus ad Pedes CLEMENTIS Octaui Domini noſtri venerabundus ſe aduoluit, cum ſanctiſſimo ſapientiſſimoq. Pontifice, de Coenobitarum vita, moribus, & regulae obſeruantia vehementer laborante, diu multumq. grauiſſime collocutus eſt. Viros religioſiſſimos, Coenobitarum reformandorum cauſſa dictos, maximis caloribus ſaepe adijt, ex eo morbum contraxit, vehemētis vim febris patienti fortiq. animo tulit, in medio aeſtu, & ardoribus Chriſti Crucifixi cōtemplatione, atque intuitu recreabatur: fratribus ſuis ad lectulum circumſtantibus, & ſpem valetudinis facientibus illud patientiſſimi Iob reſpondit: Non ita filij, ſed nunc potius ſpiritus meus attenuabitur, dies mei breuiabuntur, & ſolum mihi ſupereſt ſepulchrum. Vnde facile intelligi poteſt, migrationis tempus diuinitus ei praeuiſum fuiſſe: ob eamq. cauſſam ſubinde miſit venerabilem virū Coenobij huius moderatorem F. Conſtantium Lodium Brixianum, qui ſuppliciter ſibi, animam Chriſto reddituro, a Beatiſſimo D. N. Pontifice Max. CLEMENTE Octauo, veniam peccatorū abſolutionemq. peteret: quam vbi benigne latam cognouit, clara voce ſemel, atque iterum Deo Maximo egit gratias, ac triduo poſt nullo amplius ſumpto cibo fortiter cum morbo in agone decertans, ſacramentis Eccleſiae omnibus munitus migrauit ad Dominum. Cui nam corporis in feretro iacentis amplitudo, & vultus maieſtas venerationem non iniiciat? Templum certe Spiritus Sancti honorabile fuiſſe conſtat. Animam ſane ad ſuum reuolaſſe auctorem credimus. Nobis autem imitari quod debeamus reliquit. Vtinam per nos nūquam ſtet, quo minus per eum ſalutem a Deo conſequamur ſempiternam. Monumento, ne quod officij genus a vobis omittatur, titulum vt his verbis incidendum fratres curent, cenſeo:

F. Petro Nicolao Mutio Bergomati Auguſtinianae Congregationis obſeruantiae Lombardiae, Philoſopho, Theologo, Concionatori inſigni, diſciplinae regularis inſtauratori, ter huius Coenobij moderatori, ter Vicario Generali, in quo honore obijt, Romae, x. Kal. Septemb. M. D. XCVI. annum agens LXXIV.

F. Parenti optimo poſuerunt;

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE